



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Consensus Veteris Et Moderni Papatus

Reck, Johann von der

Monasterii Westphaliæ, 1722

XV. Quod mandata Dei, per ejusdem gratiam, servatu sint possibilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68472)

fidem putaverint ; bene autem vivere , & bonis operibus viam Dei tenere neglexerint.

Item lib. 83. question. 76. Quoniam Paulus Apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab iis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, & facinorosè flagitiosèque viverent, salvos se esse posse per fidem.

Et paulò post. Quapropter non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ, Pauli & Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus ; & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus, quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt ; iste de iis, quæ fidem sequuntur.

X V.

Quod mandata Dei, per eisdem gratiam, servatu sint possibile.

S. Hieronymus in caput 5. Matth.

Multi

Multi præcepta Dei imbecillitate suâ, non Sanctorum viribus æstimantes, putant esse impossibilia, quæ præcepta sunt.

Item in explicatione Symboli ad Damasum. Execramur etiam eorum blasphemiam, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo præceptum esse.

S. Chrysostomus hom. 19. in epist. ad Hebræos. Et quomodo possibile est hoc, inquis, diligere proximum sicut se ipsum? Si non fecerunt etiam hoc alii, bene putas impossibile: si autem fecerunt, manifestum est, quia per negligentiam à nobis non efficitur. Sed & aliàs nihil impossibile imperat Christus, in tantum, ut etiam multi supergressi sint ejus præcepta. Quis ergo, inquis, fecit hoc? Paulus, Petrus, & omnis chorus Sanctorum.

S. Basilius in illud: Attende tibi, non procul ab initio. Impium est dicere, impossibilia esse Spiritûs præcepta.

S. Cyprianus de baptis. Christi. Lex tua

tua docet vitare peccatum, & corripit transgressores. Nihil impossibile, nihil jubet austerum. *Et eodem Tractatu.* Quodsi impossibilia essent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua sic abdita, ut non posset intelligi, quid à nobis expeteret tua altitudo (licet invitus nemo peccet) posset tamen ex multis excusare delictum, nisi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum distinctio auctoritate cognoscibili providissent, & simul se complecterentur possibilitas & facilitas, scientia & potestas.

Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te: hoc & possum, & debeo.

S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione c. 6. Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse; nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse.

Item

Item de natura & gratiâ c. 43. Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.

Item eod. lib. c. 69. Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est.

Item de gratia & libero arbitrio c. 16. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod sciret, non posse ab homine fieri. Quis hoc nescit?

X V I.

De voto Castitatis.

S. Athanasius lib. de Virginitate. Postquam continentiam professus es, corpus tuum sanctificasti.

Origenes homil. 23. in lib. Num. Certum est, quia impeditur sacrificium
inde-